Pamph.
Lat. Lang.
Gram.
L.

DE QVIPPE PARTICVLA.

Dissertatio inauguralis

quam amplissimi philosophorum in universitate litterarum Viadrina Vratislaviensi ordinis consensu et auctoritate ad summos in philosophia honores rite impetrandos una cum thesibus die XXVI mensis Iulii anni MCMIX hora XI in aula musica publice defendet

Kurt Lerche
Lesnensis Posn.

Adversarii erunt
Dr. phil. F. Rogel.
Dr. phil. K. Gleisberg.

Vratislaviae
M. & H. Marcus
MCMIX

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
Richardus Foerster.

Dissertatio integra propediem prodibit in commentationum quae inscribuntur
Breslauer Philologische Abhandlungen
fasciculo 41.

Examen rigorosum habitum est die III mensis Februarii anni MCMIX.

Richardo Foerster
Francisco Skutsch

s.

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/dequippeparticul00lerc

Prooemium.

Cum *quippe* particulam adhibemus, statim *qui* pronomen relativum adiungimus. Tantopere *quippe* particulae cum pronomine relativo coniunctae usus in animis nostris consedit. Atque libri scholasticae grammaticae omnes solum hunc particulae usum noverunt, ut Ellendtius-Seyffertus (Lat. Gramm. § 221 ed. 42) de relativarum sententiarum coniunctivo dicentes adnotant: „Das kausale Verhältnis kann noch bestimmter durch *quippe qui*, *ut qui*, *utpote qui* (da ja derselbe) bezeichnet werden“ [1]).

Haec regula parum recte se habet; neque enim aut in aurea quae vocatur latinitate flagitatur, ut post *quippe* coniunctum cum pronomine relativo ponatur coniunctivus, aut Cicero ipse ut semper (28^{ies}) *quippe qui* cum coniunctivo coniungeret particula ipsa adductus est; sed quotiens causalis nexus postulabat, totiens ille etiam in simplici enuntiatione pronomine relativo inducta coniunctivum posuit. *Quippe* particulam nihil valere ad sequentem sententiam relativam etiam ex Sallustii Liviique usu apparet: ille enim post *quippe qui* semper (14^{ies}) posuit indicativum, apud hunc et indicativus (6^{ies}) et coniunctivus (23^{ies}) [2]) exstat. Ex hoc intellegi potest certam legem quae post *quippe* cum pronomine relativo coniunctum poni coniunctivum iuberet non fuisse.

---

[1]) Idem fere exponunt Kritzius ‚Lat. Gramm.‘ (1848) p. 499 adnot. 18; Madvicus (1857 [3]) § 366 adnot. 2; Schultzius (1862) § 374 adnot. 1; Zumptius (1865) § 565; H. I. Mueller (Lips. 1907 [5]) § 243.

[2]) Haec coniunctivi frequentia non mira est, quia oratio obliqua, in qua *quippe qui* saepe exstat, iam per se ipsa coniunctivum postulat.

Deinde non sola neque propria est *quippe* particulae cum pronomine relativo coniunctio; nam *quippe* apud Ciceronem non minus frequens est cum coniunctionibus (17^ies^) quam libere soluteque adhibitum (12^ies^); atque per totam latinitatem particula ante enuntiationem primariam creberrima fuit.

Ac ne significatio quidem quae vulgo particulae datur probari potest; nam etsi apud Ciceronem non invenitur genuina significatio interrogativa, tamen confirmativa vis particulae agnoscenda est: *quippe* significat *non mirum est* ac pro tota enuntiatione est[1]; cf. Cic. pro Sext. Rosc. Am. 52:

‚Convivia cum patre non inibat'. *Quippe, qui* ne in oppidum quidem nisi perraro veniret. ‚Domum suam istum non fere quisquam vocabat'. *Nec mirum, qui* neque in urbe viveret neque revocaturus esset.

Quomodo putabimus hunc usum particulae quem grammatici afferunt esse ortum? Laurentius quidem Valla[2]) primus hunc usum *quippe* particulae cum pronomine relativo coniunctae ut novit, ita non pro genuino habuit; sed praecipue *quippe* particulam per se constantem voluit usurpari neque frustra cum aliis particulis *utpote*, *profecto*, *utique*, *nempe*, *nimirum*, *sane*, *certe* composuit[3]). Philippi Melancthonis prima editio grammaticae Latinae (1525) ne commemorat quidem *quippe* particulam; editio a. 1586 diligenter recognita iam adverbium affirmativum *quippe* affert (p. 60); longius progreditur editio quae a. 1621 prodiit, in qua et adverbium affirmativum *quippe* (p. 236) commemoratur et coniunctio causalis *quippe* (p. 396: ‚*utpote* et *quippe* pro *utpote* sequente *qui* [als der] habent indicativum vel coniunctivum; sequente *cum* [als weil] coniunctivum tantum'). Saeculis sequentibus, quibus omnes qui Latine scribebant Ciceronis sermonem quam maxime imitati sunt, cognitio

---

[1]) Quam sententiam C. F. W. Mueller in editione Ciceroniana secutus est; item Antonius ‚Studien zur Lat. Gramm. u. Stilistik' (1873) II p. 81: „Es bildet mithin *quippe* einen Satz für sich, und man könnte nach jedem *quippe*, wenn es nicht parenthetisch steht, ein Semicolon oder besser ein Fragezeichen setzen".

[2]) De linguae Latinae elegantia libri VI (1519) c. LIV fol. 32 sq.

[3]) Cf. Thomae Linacri Britanni ‚De emendata structura Latini sermonis' libri VI (Lips. 1551) p. 94. 169. 358 et M. Nizolii ‚Thesaurus Ciceron.' (Bas. 1559) s. v. *quippe*.

particulae proba periit[1]: *quippe* particula illi docti viri nisi cum pronomine relativo quod coniunctivus sequebatur coniuncta usi non sunt et in deliciis habuerunt partim quod ea nexum causalem accuratius exprimi putabant, partim quod eam verborum copiae rhetoricoque sermoni convenire existimabant. Atque ex illis temporibus hic usus particulae per saecula floruit[2].

Qualis autem fuerit *quippe* particulae usus ab antiquissimis temporibus usque ad finem saeculi secundi p. Chr. n.[3]), exponere mihi in animo est. Ac primum quidem veriloquium, orthographiam, rem metricam prosodiacamque tractabo; deinde postquam de significatione, historia, vita particulae verba fecero, ‚syntacticum' usum, qualis fuerit apud singulos scriptores enucleabo; denique conspectum dabo, e quo perspici possit quomodo particulae usus apud prosae orationis scriptores poetasque per saecula progressus sit.

Superest ut breviter explicem quemadmodum materiam collegerim. Omnes scriptores quorum opera nobis servata sunt perquisivi editionibus quae optimum apparatum habent usus. Ubi autem indices auxilio veniebant[4], nihil aliud nisi apparatum criticum usurpavi. Dissertationes de coniunctionum causalium apud singulos scriptores usu scriptae exiguae tantum utilitati fuerunt, cum aut locos qui apud singulos scriptores inveniuntur non omnes collegerint aut collectos summatim tantum attulerint. Praeterea omnia litterarum fragmenta titulosque usque ad tertium saeculum incisos, quos quidem index Thesauri linguae Latinae[5] affert, adhibui.

Quibus explicatis iam aggredior primam quaestionis partem quae est

---

[1]) Velut Dietschius ad Sall. Catil. 48, 2: „Bekanntlich verbindet Cicero *quippe* **nur** mit Relativsätzen und setzt in diesen immer nur den Conjunctiv".

[2]) In contrarium conversa est aestimatio particulae apud Iulium Lebreton ‚Etudes sur la langue et la grammaire de Cicéron' (Parisiis 1901): is ne commemorat quidem particulam.

[3]) Hunc terminum statuimus, ut cognosci possit, quomodo etiam primi scriptores christiani, praecipue Tertullianus, particulam usurpaverint.

[4]) Eosdem indices quos index Thesauri linguae Latinae affert sumpsi.

[5]) In materia colligenda omnino semper indicem Thesauri secutus sum, imprimis ne quem scriptorem omitterem.

I.

De *quippe* particulae veriloquio, orthographia, re metrica prosodiacaque.

Primum *quippe* particulae veriloquium enucleare conemur. Vehemens est inter recentiores grammaticos de huius particulae formatione dissensio: alii de priore syllaba, alii de altera certant. Quaecumque autem viri docti statuerunt nunc breviter referam.

Alii [1]) *quippe* nihil nisi gradationem *quia* coniunctionis esse putaverunt; ortum enim esse ex *quia-pe*.

Alii [2]) distrahunt *quippe* in *quī* particulam modalem et *-pe* suffixum, quod ex *pote* syncopa et assimilatione progressiva facta ortum atque etiam conservatum sit in *utpote*.

Alii [3]) *quippe* ex *quī-pe* derivandum declarant; postea consonantium geminationem accessisse.

Alii [4]) consentiunt *quippe* particulam profectam esse ex *quid-pe*.

---

[1]) Reisigius ‚Vorlesungen über Lat. Sprachwissenschaft' ed. F. Haase (Lips. 1839) p. 463. Schmalfeldius ‚Synonyma der Lat. Sprache' (1869) N. 611.

[2]) Hartungius ‚Lehre von den Partikeln der Griech. Sprache' (Erlang. 1832) I 485 sqq. Pottius ‚Etymolog Forschungen' (Lemgo et Detmold 1861) II 1, 858 sq., 862 sqq. Antonius l. c. p. 80. Detlefsenus (‚Pote und seine Verwendung im Latein' p. 7 Progr. Glueckstadt 1901) ab his aliquid differt ratus *quippe* ex *quid-pote* esse ortum.

[3]) O. Mueller ‚Festi' p. 105 adnot. 9 (1839). Ribbeckius ‚Beiträge zur Lehre von den Lat. Partikeln' (Lips. 1869) p. 17. Corssenus ‚Über Aussprache, Vocalismus und Betonung der Lat. Sprache' II 846 (1870). Kuehner ‚Ausführl. Gramm. der Lat. Sprache' I 392 (1877). Vanicekius ‚Etymolog. Wörterbuch der Lat. Sprache' p. 43 (1881). Leo Meyer ‚Vgl. Gramm. der Griech. u. Lat. Spr.' I 581 (1884). Landgrafius ‚Reisigs Vorlesungen über Lat. Sprachwissenschaft' III 287 (1888).

[4]) Boppius ‚Vgl Gramm. der Idg. Spr.' [3] § 370 II 179. Pauli ‚Kuhns Zeitschrift' XVIII 32 (1869). Bréal-Bailly ‚Dictionnaire étymol. lat.' p. 140 (Parisiis 1885) (recentissimam editionem (1906) non vidi). Deeckius ‚Bezzenbergers Beiträge' XIII 268 (1888) et ‚Gymn.-Progr. Buchsweiler' (1887) p. 41 adnot. 2 et p. 51 adnot. 3. Netusilius ‚Archiv f. Lat. Lexicographie u. Gramm.' VII 580 (1892). Skutschius ‚Forschungen zur Lat. Gramm. u. Metrik' I 95 adnot. 4 (1892). Stolzius ‚Histor. Gramm. der Lat. Spr.' I 310 (1894); ‚Handbuch d. klass. Altertumswissenschaft' II 85 (1900 [3]). Birtius ‚Rhein. Museum'

Lindsayus[1]) solus dubitat unam e sententiis quas modo commemoravi sequi; dicit enim: „*Quippe* besteht aus der Partikel *-pĕ* und irgend einem Kasus des relativen, interrogativen oder indefiniten Pronomens und zwar entweder dem Accus. Sing. Neutr. (*quippe* für *quid-pe*; vgl. das mit *quidni* gleichbedeutende *quippini*) oder (falls im Lateinischen *-ĭpp-* für *-īp-* stehen kann; vgl. *ipsippe : ipsi neque alii* bei Paul. Fest. 73, 37 Th.) dem Locat. Instrum. Sing. (*quippe* für *quī-pe*) oder auch dem Abl. Sing. (*quippe* für *quīd-pe*)[2]).

Priusquam sententiam nostram exponamus, ad singulas virorum doctorum sententias diiudicandas adeamus.

Quae Reisigius et Schmalfeldius de particulae veriloquio censuerunt, silentio praeteribimus; nam haec contra sonorum Latinorum leges peccant.

Neque quod Hartungius Pottius aliique *quippe* ex *quī-pote*[3]) esse ortum putant, probare possumus; ut libenter concedimus e *quīpote* fieri potuisse *quīpte*[4]), sicut *mihipte* e *mihipote*[5]), ita fieri posse ut e *quīpote quippe* oriatur negamus[6]).

Sequuntur qui censent *quippe* vel ex *quī-pe* „durch blosse Consonantenverschärfung" ortum vel ex *quid-pe* esse profectum. Haec veriloquia quae verisimillima videntur, quia sonorum Latinorum legibus conveniunt, paulo accuratius e lingua Latina explicare conemur.

Alteri qui declarant *quippe* e *quī-pe* esse ortum pro suà sententia afferunt duo exempla: *ipsippe* et *Iuppiter*.

LI 87 (1896). Brugmannus ‚Grundriss der vgl. Gramm. der Idg. Spr.' I 531 (1897 [2]). Dittmarus ‚Studien zur Lat. Moduslehre' p. 82 adnot. 2 (1897). Sommer ‚Handbuch der Lat. Laut- u. Formenlehre' p. 248 (1902). Schmalzius ‚Krit. Jahresbericht über die Fortschritte der Roman. Philologie' VI 91 (1903/5).

[1]) ‚Die Lat. Sprache' (Lips. 1897) p. 693 sq.

[2]) Eandem sententiam iam protulerat Ebel ‚Kuhns Ztschr.' V 416.

[3]) Vel *quid-pote,* sicut Detlefsenus l. c. putat; cf. censuram I. H. Schmalzii l. c.

[4]) Cf. *τίποτε* et *τίπτε* Graecorum.

[5]) Si cum his viris putamus *mihipte* formam ortam e *mihi-pote,* non e *mihi-pe-te*; cf. Netusilium l. c.

[6]) E *vopte* (e *vos-pte*) numquam factum est *vope*; cf. Corssenum l. c. II 846 adnot. Praeterea *quī pote* coniunctio persaepe apud scriptores apparet (= *quomodo potest* sc. *fieri?*); cf. Neue-Wagener ‚Formenlehre der Lat. Spr.' II [3] 173 sq.

Prius autem exemplum *ipsippe* ne minimam quidem utilitatem praebet; nam hoc vocabulum est glossematicum: semel apud Paulum Fest. p. 105, 9 M obvium est significans *ipsi neque alii.* Iam Ursino haec forma tam mira visa est, ut eam corrigeret in *ipsipte*[1]) analogiam formationum *mihipte suopte vopte* secutus; et profecto prudentissime. Nam quantilli hoc glossema *ipsippe* sit aestimandum vel inde apparet quod bis in glossis Latino-Graecis Corporis Glossar. Lat. II 87, 26 et 44[2]) traditur *insipti* = *αὐτοί*; ac ne tantillum quidem dubito quin *insipti* corruptum sit ex *ipsipte*[3]); quae forma etiam apud Paulum Fest. l. c. restituenda est.

Sequitur ut de altero exemplo *Iuppiter*, quod magis idoneum est, pauca dicam. *Iuppiter* etsi nomen proprium est atque syllabarum numero *quippe* vocabulum superat, tamen cum *quippe* comparari potest. Verbotenus respondet *Iuppiter* vocativo Graeco *Ζεῦ πάτερ* = *Ieū pater* = *Iūpater* = *Iūpiter*; quarum duas formas ultimas etiam in titulis scriptas legimus[4]). Inde factum est *Iŭppiter.* Sed quomodo hic progressus explicandus est? In lingua Graeca Latinaque scimus vocis longam vocalem desinentem, ubi primum ad eam encliticum adiunctum et cum praecedenti voce sicut unum vocabulum unico accentu vinctum pronuntiatumque est, interdum correptam esse: longa vocalis desinens patitur id quod vocatur „Quantitätsminderung" vel potius „Quantitätsentziehung infolge Tonanschlusses"[5]). Brevitas autem effecta est genere accen-

---

[1]) *Ipsipsi* legendum suspicatur Dacierius, *ipsipse* Ignarra, *ipsiper* Roenschius; cf. Neue-Wagener l. c. II ³ 410.

[2]) Edd. G. Goetzius et G. Gundermannus (1888); cf. Thesaur. gloss. Lat. I 586.

[3]) Idem dicunt Lindsayus p. 506; Birtius l. c. p. 87; Detlefsenus p. 7; Stolzius ‚Handbuch' p. 138; Sommer p. 476.

[4]) *Iupater* exstat in Umbricis (cf. Planta ‚Gramm. der Osk.-Umbr. Dialekte' II 564 [II b 24]) *Iupiter* et in inscriptione (Orelli 3665) et in codicibus; cf. Paulium ‚Kuhns Zeitschrift' (1869) p. 8; Corssenum l. c. I 211 et 365; Lindsayum p. 447; Sommerum p. 143.

[5]) Buecheler ‚Archiv f. Lat. Lex. u. Gramm.' III 145 sq. Seyffertus ‚Bursians Jahresberichte' 63, 57 (1890) et 80, 258 (1894). Skutschius l. c. p. 9 adnot. 2, p 25. 26; ‚Krit. Jahresber. über d. Fortschr. d. Roman. Philol.' II 58; ‚Bursians Jahresber.' Suppl. 1905 p. 328 sq. Wackernagelus ‚Beiträge

tus qui dicitur a Sieversio ‚scharfgeschnitten'[1]). Ut exempla afferam: ex ὧς τε et ὧς περ factum est ὥστε et ὥσπερ[2]);

	tū quidem	correptum est	in	*tŭquidem*
item	*hāc quidem*		in	*hăcquidem*
	sī quis		in	*sĭquis*
	quōque		in	*quŏque*
	quāsi		in	*quăsi*
	hōdie		in	*hŏdie*

aliaque. Eodem accentu qui vocatur ‚scharfgeschnitten', qui praecedentis syllabae brevitatem perfecit, medio in vocabulo sequens consonans simplex geminata est. Ex *Iūpiter* factum est *Iuppiter* sicut ex

cūpa	*cŭppa*	*stūpa*	*stŭppa*	*pūpa*	*pŭppa*
būca	*bŭcca*	*cīpus*	*cĭppus*	*līpus*	*lĭppus*
lāpa	*lăppa*	*vāpa*	*văppa*	*lītera*	*lĭttera*
nārare	*nărrare*	*mītere*	*mĭttere*	*ālium*	*ăllium*[3]).

Idem progressus statuendus est in *quippe* particula.

Sed priusquam in hac re longius progrediamur, videamus quid sit *-pe* syllaba[4]). Romanis placuit adiectiones syllabicas

---

zur Lehre vom Griech. Akzent' (1893) p. 22 sq. Solmsenus ‚Studien zur Lat. Lautgeschichte' (1894) p. 100. Osthoffius ‚Idg. Forsch.' V 290. Usener ‚Götternamen' p. 311 (1896). Brugmannus l. c. I² p. 801.

[1]) ‚Phonetik' ⁴ p. 204 § 556 sq.

[2]) In lingua Graeca qualitas harum syllabarum nulla alia re nisi accentu cognosci potest.

[3]) Cf. Paulium l. c. p. 8 sqq.; Lindsayum p. 132 sq.; Sommerum l. c. p. 142 et 291. Phoneticam ut ita dicam explicationem huius geminationis dederunt Solmsenus et Skutschius. Brugmannus l. c. I 465 adnot. 2 ex lingua Germanica exemplum *Jammer* attulit, quod ortum est ex *Jâmer*.

[4]) Unde oriatur et quid sit *-pe* suffixum, inter homines doctos adhuc lis est. Qui cum *-pe* suffixum ex lingua Latina explicare non potuissent, ad analogias alienarum linguarum refugerunt. Boppius (l. c. III 485 adnot. 2) et Corssenus (II 846) in lingua Sanscritica analogiam se invenisse putaverunt: *-pe* suffixum linguae Latinae respondere *-pa* linguae Sanscriticae in *pratî-pa, samî-pa*, sicut *-ce* Latinum *-ka* Sanscritico; Adalbertus autem Kuhn (Kuhns Ztschr. IV 378) *-pe* esse idem ac *-pi* Sanscriticae voculae *api* omissa *a* littera dicit. Eandem sententiam sequitur H. Ebel (K.Z. V 193) „offenbar geschwächte Locativform ist Skr. *-pi* statt *api*, also liegt auch dem *-pe* zunächst ein *-pei, pè* zu Grunde". W. Deecke (l. c. XIII 268) *-pe* respondere suffixo *-pe* in *hrppe* linguae Lyciae, P. Kretschmer (K. Z. XXX 589) *-pi* Cyprio in ὄπι censent; alii (e. g. A. Schleicher ‚Litauische Gramm.' [1856] p. 231) admonent de *-p*-suffixo (ex *-po*) voculae Lituavicae *kaĭp* (ex *kaĭpo*) ‚*wie, als*'. In lin-

ut *met te pte ce ve dem dum que pe* ad augendum cumulandumque pronominibus adicere, ut Graecis *γε δη περ πη τε πτε δε*. Illud *-pe* Romani antiquissimis temporibus ad formanda nova vocabula usurpaverunt, id quod *nempe quippe quippini quispiam uspiam ipse mihipte* demonstrant orta ex *nem-pe quip-pe quip-pe-ni quis-pe-iam us-pe-iam is-pe-se mihi-pe-te*[1]). Paullatim *-pe* cum praecedenti vocabulo tam firmo vinculo conectebatur, ut suffixi origo in oblivionem veniret atque etiam aliae particulae velut *ni* et *iam* aut alia suffixa *se* et *te* vocabulo in *-pe* suffixum desinenti adiungerentur. Quaerentibus nobis utrum *-pe* syllaba longa an brevis sit, hoc tantum statui potest omnes argumentationes pro brevitate stare.

Venio ad particulae syllabam priorem. *Quî*, quod ad *ku̯ī* stirpem[2]) interrogativam[3]) referendum est, in prisco sermone locativi, instrumentalis, ablativi munere functum est[4]); magis magisque tamen his tribus casibus inter se confusis obtorpescere coepit *quî* vocula: usus *quî* formae personalis interrogativus

guis Italicis quaesiverunt Schweizer (K. Z. III 391), qui *-pe* idem esse quod *-p-* in Umbrica vocula *neip* affirmat, et Draeger (Hist. Syntax der Latein. Sprache 1881 [2] II 172), qui *-pe* ex lingua Osca derivat comparatque cum instrumentali forma *-pid* pronominis indefiniti. Hae quidem analogiae repellendae sunt; nam *-pe* Umbricum (velut *neip*) *-que* Latino (cf. *neque*), *-pid* Oscum et *-que* Latino (cf. *putereipid* = *in utroque*) et *-quid* potius respondent; cf. Planta l. c. I 90, II 461 sq. Haec satis de analogiis *-pe* suffixum idem esse quod *que* i. e. ad formam pronominalem (*pa* hanc formam esse suspicatur Leo Meyer l. c. I 589) revocandum esse permulti quidem viri docti affirmaverunt, sed ne pronominali quidem forma opus est.

[1]) Cum Netusilio (l. c. p. 570) arbitror has in partes *ipse* vocabulaque *pte* suffixo formata velut *mihipte suopte vopte* esse dividenda. Idem vir doctus *prope* particulam affert, in qua priorem syllabam praebere simplicem terminum localem adiectaque posteriore syllaba *pe* significationem *pro* vocis augeri atque notionem localem amplificari affirmat, Skutschius autem me docuit *prope* ortum assimilatione e *proqe* (cf. *proximus*). Neque magis quam *prope* afferendum est *saepe*; cf. Waldium ‚Lat. etym. Wörterbuch' s. v. *prope*.

[2]) Brugmannus ‚Idg. Forsch.' IV 226, V 143 adnot. 1.

[3]) Inde quod *quī* vocula praecedens accentum qui vocatur ‚scharf geschnitten' fert, elucet priorem syllabam esse interrogativam. Brugmannus l. c. I [2] 592, II 772 et Delbrueckius ‚Grundriss' III 511.

[4]) Ioannes Schmidt K. Z. 27, 288 et 291; 32, 402. Buecheler-Windekilde ‚Grundriss der Latein. Dekl.' p. 121. Neue-Wagener II [3] 455 et 458. Stolzius ‚Handbuch' [3] p. 139. Lindsayus p. 512.

paullatim periit, remansit impersonalis retinuitque significationem modalem *quomodo*, *quare*, *cur* ,*wie warum weshalb*', quam invenimus in *quīn*, *quīdum*, *quī non*, *quī vero*, *quī tandem*[1]). Duabus autem voculis *quî* et *pe* conexis prioris syllabae vocalis vi accentus illius correpta atque sequens consonans geminata est. Sic e *quīpe* ortum est *quĭppe.*

Restat ut sententiam eorum explicem, qui *quippe* e *quid-pe* profectum esse affirmant. *Quid* prioris syllabae pronominis interrogativi aut nominativus aut accusativus aut ablativus esse potest. Nominativus et ablativus pronominis interrogativi huc non faciunt: ille, quia in formandis particulis novis parum vel omnino, quantum cognosci potest, non usurpatus est; hic, quia *quīd* forma nusquam exstat, sed ex analogia tantum concludi potest[2]). Quo accuratius tractandus est accusativus, qui Romanis maxime videtur idoneus fuisse ad particulas formandas. Atque omnia tria genera ad hanc rem adhibita videmus: accusativum masculini generis *quom* (cf. *quoniam*), feminini *quam* (cf. *quando*, *quasi*), neutrius *quid.* Accedit accusativus plur. neutrius generis *quia* (cf. *quianam*). Vertamus nos ad accusativum *quid*, qui in his formis invenitur *quidni*, *quid non*, *quidnam*, *quid ita*, *quid igitur*, *quid nunc*, *quid iam* (Graece *τί γάρ*, *τί οὖν*, *τί οὖν οὐ*, *τί δή*, *τί δέ*, *τί δὲ δή*, *τί ποτε*, *τίπτε*, *τί δ' οὐκ*, *τί μήν*). Atque *quid* prioris syllabae revera esse posse pronominis interrogativi accusativum cognosci potest ex Plaut. Bacch. 839:

Quid? illam meretricemne esse censes? | Quippini?[3]),

etsi hoc loco non *quippe*, sed *quippini* habemus. Ex *quid-pe* et *quid-pe-ni* litteris *-dp-* ad *-pp-* assimilatis, id quod frequentissimum est in lingua Latina, profectum est *quip-pe* et *quip-pe-ni*, velut ex *tod-per topper*, ex *quid-piam quippiam.*

---

[1]) Otto Kienitz ,De *quî* localis modalis apud priscos scriptores Lat. usu' 1879 p. 540 sq. (ex ,Jahrb. f. class. Philol.' 10. Suppl.-Bd.).

[2]) Cf. O. Kienitz l. c. p. 570; Lindsayus p. 512 sq.

[3]) In recentissima editione (Lips. 1892) G. Goetzius et F. Schoellius *quippeni* scripturam codicis B praebent, quamquam cetera exempla *quippini* tradunt praeter Pseud. 917, ubi tmesis exstat. — Nominativum *quid?* respicit particula *quippini?* loco altero Plauti Men. 1109:

Esne tu Syracusanus? | Certo. | Quid tu? | Quippini?

Assimilatio autem in *quidpiam* non se insinuavit. Ac ne in *quippe* quidem particula assimilatio ubique vicisse videtur; nam ut in codicibus *quidpiam*, ita traditum est etiam *quidpe*[1]), etsi haec librorum memoria de veriloquio et pronuntiatione nihil demonstrat.

Haec habui de *quippe* particulae veriloquio quae dicerem. Apparet *quippe* et ex *quī-pe* et ex *quid-pe* derivari posse.

Sed quoniam paulo ante, quemadmodum nonnullis locis particula sit tradita, narravimus, nunc haec longius persequamur verbaque plura de particulae orthographia faciamus. Praeter illud scribendi genus *quidpe* nobis codices nonnulla alia tradiderunt. Longe frequentissime unamquamque *quippe* vocabuli litteram scriptam invenimus in codicibus et rescriptis (e.g. Plauti Ambrosiano Mil. glor. 604; Pseud. 917; Trin. 1049) et non rescriptis (e.g. Terenti Bembino Heaut. 389; Phorm. 362). Multis locis etiam *quipe* scriptura (sic B vetus codex Plaut. Bacch. 369; G cod. decurtatus Ter. Heaut. 389[2]); Vossianus Flor. I 9, 5 et II 12, 3; Palatinus ibid. IV 12, 44) exstat.

Sequuntur exempla *quippe* particulae non plene scriptae in codicibus:

a) *quipp* V cod. Vatic. Gell. II 7, 9,

b) *quip* Gai palimpsestus III 99 praebet.

Accedunt ea genera scribendi, quae in codicibus nonnullorum recentioris aetatis scriptorum exstant, qui non tractantur in hac commentatione:

qp̃p̃[3]) comparet in notis Magnonianis et Lindenbrogianis (Gramm. Lat. IV 298 K)

---

[1]) Sic Quadratus Lucr. II 983 (cf. Lachmanni commentarium p. 287) et Bambergensis Flor. IV 2, 31 (ed. Rossbachius). Duos locos W. Heraeus (Archiv f. Lat. Lex. u. Gramm. XIV 451 adnot.) ex Nonio Marcello p. 302, 26, p. 323, 18 M affert; *quidpini* B cod. vetus Plaut. Pseud. 301. Plerumque tales lectiones vel in apparatu critico ab editoribus silentio praeteritae vel a librariis deletae sunt.

[2]) Altera manus suprascripsit *p* litteram alteram.

[3]) Hoc compendium scriba δ codicis Liviani XXVII 44, 8 (ed. Luchs) falso solvit in *qui prope*; neque mirus est hic error, quod *prope* particula per compendium *pp* reddita est.

qp[1]) (ibidem IV 345; cf. Lindsayum ,Contractions in Early Latin.| Minusc. MSS.' p. 24) in Hegesippi codice circa a. 700 scripto

qpe[2]) (Lindsayus l. c. p. 24)

q̊ppe (Lindsayus p. 21).

Ex his diversis particulae scribendae generibus facile diversa scribarum menda explicari possunt.

Nunc transeo ad rem prosodiacam metricamque. De particulae mensura unum antiquorum testimonium nobis traditum est Probi ,de ultimis syllabis' (Gramm. Lat. IV 252, 15): „*Quapropter* . . . ⟨*Quippe*⟩ primam naturaliter longam et postremam brevem habet ut:

Quippe solo natura subest (Verg. Georg. II 49)".

Utilitatis est parvae hoc testimonium, praesertim cum memoria librorum corrupta sit[3]). Priorem syllabam positione longam fieri omnes intellegunt; incerta est mensura posterioris syllabae. Supra iam in disputando veriloquio ostendimus omnia fere demonstrare *pe* syllabae brevitatem: praecedentem syllabam

---

[1]) Liv. XLIII 11, 11 codices *qui perpaucos* pro *quippe paucos* praebent et Quint. I 1, 3 cod. Bamberg. pro *hoc qui perviderit* habet *hoc quippe viderit*. In libro Apuleiano *περὶ ἑρμηνείας* (ed. Goldbacher ,Wiener Stud.' VII 270, 4) praebet codex Sangallensis *nonus quae praeservant* pro *nonus quippe servant*. Gell. XX 1, 16 cod. Vossian. *q̊prefortuitus* pro *quippe fortuitus* habet.

[2]) Codex Mediceus Tac. ann. VI 23, 3 pro *quippe pecunias* scripsit *qui pecunias* cf. Apul. de dogm. Plat. II 23 p. 99, 2 (G).

[3]) Keilius post *quapropter* lacunam indicat, in qua definitio coniunctionis *quapropter* fuisse dicitur. Heraeus autem (Arch. f. Lat. Lex. u. Gramm. XIV 451) sic emendandum esse locum censet: „*Quapropter* primam naturaliter longam et ⟨postremam brevem habet ut:

Quapropter . . .

Quippe⟩ postremam brevem habet ut:

Quippe solo natura subest".

Rectam viam arbitror iam editores veteres iniisse, qui *quapropter* in *quippe* mutaverunt; nam facillime fieri potuit ut vox *quippe* per compendium scripta (*q̃p̃p̃*) cum *quapropter* mutaretur, sicut *qui prope* cum *quippe* (cf. Lindsayum l. c. p. 20 et 40). Haec Probi definitio maxime idonea est ad veriloquium *quippe* ex *quī-pe* affirmandum. Eadem de causa Heraeus et emendationes editionum veterum et Keilii reiciendas esse putat: quippe, cum pro certo habeat *quippe* ex *quĭd-pe* esse derivandum.

acutam, syncopam in compositis (cf. *mihipte*), *e* vocalem quae non sonat in *i* mutatam (cf. *quippini*), cetera suffixa in vocalem desinentia (*quĕ vĕ nĕ cĕ tĕ ptĕ*). Accedunt causae metricae:

Per totam latinitatem trochaicam *quippe* particulae mensuram vulgarem ostendere possumus[1]). Exempla sequantur:

Plaut. Aul. 318 Horúm tibi ístic nil evéniet: quíppĕ quí;
Enn. ann. 355 Quippe? solent reges omnes in rebus secundis;
Hor. carm. I 31, 13 Dis carus ipsis — quippe — ter et quater;
Stat. silv. IV 7, 25 Quippe te fido monitore nostra.

Haec sufficiant. Interdum altera quoque syllaba elidebatur, sed raro:

Plaut. Poen. 553 Nos tu ne curassis: scimus rem omnem: quippe? omnes simul;
Lucr. I 104 Quippe; etenim quam multa tibi iam fingere possunt;
Phaedr. I 28, 7 Contempsit illa, tuta quippe ipso loco;

Hactenus omnia secuta sunt regulam. Apud Plautum autem nonnulla exempla, quae mensurae trochaicae resistunt, nobis occurrunt, ut:

Amph. 745 Án etiam íd tu scís? | Quippe qui; éx te audívi ut úrbem máxumam;
Asin. 66 Quippe quí mage amíco utántur gnáto et bénevolo;
Epid. 334 Quippe tú mi aliquid aliquó modo alicúnde ab aliquibús blatis?
Men. 586 Quippe quí pro illís loquántur quáe male fécerint[2]).

Quibus locis complures viri docti[3]) censuerunt pyrrhichi-

---

[1]) Uno loco (Enn. sat. v. 26) affirmavit Ribbeckius (l. c. p. 17) posse se demonstrare *quippe* particulae mensuram spondiacam:

Quippé sine cura laétus lautus cum ádvenis.

Eadem de causa Lucianus Mueller ad raram mensuram evitandam ordine verborum mutato scripsit:

Sine cura quippe laetus lautus cum advenis.

Tamen erraverunt; neque enim in iambico senario aut necesse est accentum semper in syllabis longis exstare aut quicquam est frequentius quam mensura dactylica primi pedis qui accentum in priore brevi syllaba habet.

[2]) Exemplum quintum haberemus, si cum Ussingio Truc. 878 (= Sch. 888) scriberemus:

Quippe, quom multum abstulimus, haud id multum apparet quod datum est;

sed codicum lectio (*que* B; *quae* ceteri) alio ducit; cf. quae Skutschius in ‚Forsch. z. Lat. Gramm. u. Metrik' p. 96 adnot. 2 contra hanc coniecturam dixit.

[3]) Quos Skutschius l. c. p. 10 enumerat.

cam esse *quippe* particulae mensuram atque attulerunt constare usque ad Ennium consonantes nunquam esse duplicatas. Optime autem hanc argumentationem refutavit Luchsius[1]: ,Inde quod veteres consonantes non duplicaverunt, minime sequitur eas syllabas quae consonantem postea duplicem, tum simplicem praecesserint, ideo omnes olim correptas pronuntiatas esse'.

Mensuram vero *quippe* particulae pyrrhichicam non esse, sed potius apocopam ultimae syllabae factam esse demonstravit accuratissime Skutschius[2]: apud priscos poetas scaenicos *nempe* semper, *quippe inde unde ille iste* vocabula frequenter duas tantum moras praebent. Quae mensura ita explicanda est, ut ante vocales ultima syllaba elisa sit; ante consonantes autem e prioris syllabae correptione explicari non potest, quia, si ita esset, hae sex voculae ante vocales quoque unam tantum moram praebentes nonnunquam inveniri debebant. Haec tamen mensura nusquam invenitur. Ergo ante consonantes frequenter posterioris syllabae harum vocum apocopa facta est[3]).

De *quippe* particula Skutschii verba hoc loco afferre mihi optimum videtur[4]: „Die Annahme von pyrrhichischer Messung von *quippe*, ohnehin grammatisch nicht ausreichend zu stützen, erklärt nicht, warum dies zweimorige *quippe* nur vor Konsonanten steht. Wenn also somit die erste Silbe nicht kurz sein kann und also allein ebensoviel Moren ausgefüllt hat wie das ganze Wort, dann muss die zweite Silbe für den Vers ohne Geltung, d. h. synkopiert gewesen sein" [5]).

---

[1]) ,Studemunds Studien' I 74.

[2]) L. c. et in Mus. Rhen. LI 478 sq.

[3]) Plane repellenda est eorum sententia qui dicunt vocalem prioris syllabae esse elisam. Quidnam superesset de toto vocabulo? cf. F. Ritschl ,Prolegomena ad Trin.' (1849) caput XI (de ecthlipsi sive syncopa) p. 142. 152.

[4]) L. c. p. 94. Theodoro Birt qui priorem pyrrhichicam mensuram restituere conatus est (in Mus. Rhen. LI 87 et 240 sqq., suppl. vol. 1897 p. 170 sqq.) nemo fere assensus est neque melius rem successuram Radfordio (Amer. Journ. of Phil. 1907 p. 14 sqq.) arbitror.

[5]) Lindsayus sententiam Skutschii secutus in Plauti editione eo processit, ut etiam in textu apocopam ultimae syllabae exprimeret, id quod mihi non probatur.

II.

De *quippe* particulae significatione.

Veteres grammatici ad explicandam *quippe* particulae significationem nihil fere contulerunt. Itaque ex operosa eorum volutatione paene nullum mihi fructum ad rem propositam redundasse valde doleo.

Egerunt autem de *quippe* particula fusius breviusve hi potissimum grammatici:

(Verrius Flaccus) apud Festum p. 257 (ed. C. O. Müller): „*Quippe* significare *quodni*[1]) (*quippe* significat *quidni* Paul.) testimonio est Ennius

l. XI Quippe solent reges omnes in rebus secundis

item l. XVI Quippe vetusta virum non est satis bella moveri;

item alii complures".

Priscianus (ed. M. Hertzius) vol. II 85, 6: „Confirmativa (sc. particula), ut *profecto scilicet quippe videlicet nempe*, ut Persius ‚*Nempe haec assidue*'. Duae quoque partes pro his ponuntur ut *quid ni*, *cur non*, *sic est*, *quid istuc*, quo frequenter Terentius utitur in confirmatione".

Remigii Autissiodorensis commentum (ed. W. Fox 1902) p. 78, 2: „*Quippe* i. e. *nimirum*".

Sequuntur significationes in Thesauro glossarum emendatarum allatae (confec. Georgius Goetz) II p. 174: „*Quippe* (*δηλαδή, ἅτε δή, τί δῆτα, δηλονότι, εἰκότως*) = *quoniam*, *certe*, *sine dubio*, *revera*, *nimirum*, *videlicet*, *cum certe*, *statim et immo*, *praesertim*, *etenim*" [2]).

Omnia fere quae adhuc ex grammaticis desumpsimus exigui momenti sunt praeter ea quae Paulus Fest. p. 257 M protulit: „*Quippe* significare *quidni* testimonio est Ennius".

Ad hoc C. O. Mueller adnotavit (p. 399): „Non recte Dacierius *quippe* etiam apud Ennium nihil nisi *quoniam* significare contendit, neque opus est ut cum Lindemanno pro *quidni* vel *quoniam* vel *quianam* reponas. Nempe *quippe* revera mirantis est,

[1]) *Quodni* lectionem codicis Farnesiani recte Ursinus in *quidni* mutavit.

[2]) Omnes significationes non attuli, sed tantum gravissimas.

qui res aliter esse possit[1]), et comparandum maxime cum Graeco πῶς οὐ vel πῶς γάρ. Itaque inter *quippe* et sententiam annexam, qua caussa continebatur, olim distinguebatur: quae distinctio cum diuturna consuetudine in oblivionem venisset, *quippe* ex interrogativa particula abiit in relativam. Nunc autem multi particula *quippe* nimis abutuntur, quippe? cum originis apud omnes summa fuerit oblivio" [2]). Experiamur nunc, num illa grammaticorum veterum testimonia Muellerique adnotatio consentiant cum *quippe* particulae duobus veriloquiis.

Meminerimus quae de eius altero veriloquio diximus *quippe* profectum esse ex *quid-pe* atque eandem formam apparere in *quidpiam* (ex *quid-pe-iam*)[3]). *Quidpiam* vocabuli significatio elucet e Plaut. Truc. 724:

Quid? amator novos? quispiam?

Hunc versum interpretamur: was? ein neuer Liebhaber? wer ⟨kann es⟩ denn schon ⟨sein⟩ vel wer ⟨könnte es⟩ denn schon ⟨sein⟩?[4]). Significat igitur *quispiam* wer denn schon?[5]) et *quidpiam* was denn schon?[6]) in his exemplis:

Plaut.Cas.672 Men occidet? | An — quippiam? — ad te attinet? | Vah.
Pseud. 368 Atque occidi quoque
Potius quam cibum praehiberem: num peccavi? — quippiam?
Capt. 127 Visam ne nocte hac — quippiam? — turbaverint[7]).

Omisso *iam* suffixo restat *quidpe* was denn? vel was gerade? *Ipse* vocis, in qua idem suffixum *-pe-* invenimus,

---

[1]) Cf. p. 4 not. 3.

[2]) Haec subtilis adnotatio oblivione est obruta adeo ut eam denuo detegi necesse esset.

[3]) Ebelius K.Z. V 193 et Birtius l. c. p. 87. Stowasser (Ztschr. für Österr. Gymn. 52, 387) *quidpiam* ex *quid* et coniunctivo irregulari verbi *piare* derivandum esse perperam censet.

[4]) Cf. Plaut. Mil. glor. 430

Quid metuis? | Enim ne nos nosmet perdiderimus uspiam:
Nam nec te neque me novisse ait haec: perspectari hoc volo,
Sceledre, nos nostri an alieni simus; ne clam — quispiam? —
Nos vicinorum imprudentis aliquis immutaverit

atque formam dicendi *dixerit quispiam*.

[5]) Lievenus ‚Consecutio temporum bei Cicero', Progr. Reval 1883 p. 23 adnot. 3 et Netusilius l. c. VII 580.

[6]) Cf. glossam *quippiam* = τίποτε in ‚Corp. gloss. Lat.' II p. 167, 40.

[7]) Cf. Brixium-Niemeyerum ad Capt.[5] l. c.

prior syllaba praebet simplex pronomen determinativum *is*, *ea*, *id*; adiecta autem posteriore syllaba *pse* ex *pe-se* orta *is* vocis significatio augetur atque amplificatur: *ipse* accipit significationem *er gerade*, *er selbst*, quae etiam in *mihipte*, *suopte*, *vopte* statuenda est.

Significatio confirmativa, quam per se ipsam *nempe* voculae priori parti adhaerere credo, addito *pe* suffixo amplificatur, quamobrem etiam *nempe* non idem significat quod *namque*[1]).

De *pe* suffixo ad augendum cumulandumque usurpato, quod voculis nostris *denn*, *gerade*[2]) reddi potest, satis dictum esse arbitror; iam dicatur de *quippe* particulae priore syllaba *quid?* aut *quī?*

Quid? voculae, quam neutrius generis accusativum pronominis interrogativi statuimus, significatio pari loco habenda est atque in *quid ita? quidnam? quidni?* coniunctionibus. Eodem enim modo, quo pronomen *was?* ad *warum?*, *quid?* vocula transit ad significationem vocum *cur? quare?* Ut exemplum afferam: *quid venis?* vertendum est aut *was kommst du?* aut *warum kommst du?* Sic

Plaut. Most. 419 Sed quid tu egredere, Sphaerio?
Poen. 1009 Quid in hanc venistis urbem?
ib. 1308 Quid tibi hanc digito tactio est?

Ad eandem significationem prioris syllabae pervenimus, si *quī?* interrogativum pronomen adverbiale *quippe* particula contineri putamus. Supra iam commemoravimus (p. 9) *quī?* habere significationem *quomodo? quare? cur?* velut

Plaut. Most. 740 Me miserum! occidi. |
Quī? | Quia venit navis, nostrae navi quae frangat ratem.
Amph. 710 Quī istuc in mentemst tibi ex me, mi vir, percontarier?[3]).

Neque alia particulae *quī?* vis agnoscenda est nisi haec:

---

[1]) *Prope* vocabulum huc non pertinet; cf. p. 8 adnot. 1.

[2]) Si sententiam eorum sequeremur qui putant (e. g. Boppius l. c. II 179) *pe* idem esse ac *que*, quam significationem haberet *quidpe*? nam si *quid-pe* responderet *quid-que* voci, quid tum significaret *quippini*? Vel inde quod *-pe* in alia composita intromittitur atque *-que*, apparet differentia originis significationisque.

[3]) Alia exempla apud Kienitzium enumerantur l. c. p. 537 sqq.

Plaut. Epid. 334 Vae tibi muricide homo! | Quī tibi lubet mihi male loqui?
Qui-ppe tu mi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus blatis
Quod nusquamst ⟨?⟩

Prioris igitur syllabae *quid?* et *quī?* formae, quamquam sono differunt, tamen pari significatione sunt. Duabus nunc particulae *quippe* partibus explicatis significatio genuina intellegitur: *quippe?* = *was denn?* vel *warum denn? wie denn?* et *quippini?*[1]) particula eadem stirpe formata *warum denn nicht?* vel *wie denn nicht?*

A.

Nunc igitur nova particula interrogativa inventa est. Sed quae significatio *quippe?* particulae inhaeret comparatae cum *quid?* et *quī?* Sicut *quid?* et *quī?* pronomina interrogativa et sola et coniuncta cum particulis usurpantur in narrando et argumentando, ut novum factum inducatur novumve argumentum atque etiam vivacem in modum causa affirmationis vel explicationis praecedentis afferatur, sic *quippe?* particulae, praesertim cum prima syllaba contineat *quid* et *quī*, eadem maximam partem vis significatioque tribuitur; maximam partem dixi; nam notionem interrogativam aliquantulum determinavit *-pe* suffixum.

Genera autem *quippe* interrogantis tria cognosci possunt, quorum id commune est, quod particula aut accentum habet — ante *quippe* is qui loquitur pausam facit, quo melius audientes praeparentur — aut in enuntiatione versuque locum habet primarium:

1) *Quippe* particula interrogativa quae spectat ad praecedentem totam sententiam vel unum vocabulum affert causam praemissae affirmationis; qui loquitur ipse orationem suam interrumpit, cum interrogat *warum denn? wie denn?* et sibi responsum dat[2]).

---

[1]) *Ni* vocula in *quippini* neque ex *nisi* derivanda (ut voluit Ribbeckius l. c. p. 17, contra quem Oscar Brugmann Progr. Lips. 1887 p. 28) neque ex *quippe enim* orta est (sic H. Roenschius ‚Ztschr. f. Östr. Gymn.' 1883 p. 408 sq., contra quem Fr. Maixner ibid. 1885 p. 83—85), sed *ni* (*nei*) est vetus negatio; cf. Delbrueckium ‚Grundriss d. vgl. Gramm.' II 528. 535.

[2]) Cf. Wackernagelum ‚Verm. Beiträge' Basel 1897 p. 22: „Zumal volkstümliche Rede liebt es, einem begründenden Satze einen nach dem Grund

Plaut. Amph. 22 Pater huc me misit ad vos oratum meus
Tametsi pro imperio vobis quod dictum foret
Scibat facturos: quippe? qui intellexerat
Vereri vos se et metuere, ita ut aequomst Iovem.

item Plaut. Poen. 553; Trin. 1049.

2) *Quippe* particula interrogativa praemissae affirmationis causam non affert, sed causae iam datae adiungitur; per se autem enuntiatum praecedens non eget hac nova appositione quae tantummodo accuratius rem explicat, ut quod brevi ante dictum est, luce clarius sit.

Plaut. Amph. 37 Nam[1]) iniusta ab iustis impetrari non decet,
Iusta autem ab iniustis petere insipientiast:
Quippe? illi iniqui ius ignorant neque tenent.

item Plaut. Rud. 979. Ter. Heaut. 389; Phorm. 362[2]).

3) *Quippe* particula interrogativa introducit enuntiatum quod simul responsi loco habetur; is qui emphatice interrogat vel potius respondet, indignationem aut admirationem interrogationi vel responso addit; unde fit ut particula saepius ironiae vim habeat.

Plaut. Capt. 886 Quid tu per barbaricas urbes iuras? | Quia enim item asperae
Sunt, ut tuom victum autumabas esse. | Vae aetati tuae. |
Quippe? quando mihi nil credis, quod ego dico sedulo.

item Plaut. Epid. 334[3]). 618; Pers. 699.

---

fragenden kurzen Fragesatz vorauszuschicken". Ut exemplum Brugmanni (‚Idg. Forsch.' IV 229 adnot.) afferam: „Da bin ich gleich drauf schlafen gegangen, warum? ich bin müde gewesen". Otto Ludwig ‚Die Heiterethei' (Reclam) multis locis hac dicendi ratione utitur; sic p. 73: „Militär muss geholt werden aus der Hauptstadt", schrie die Beutlerin. „Das kommt zu spät", schlug die Tischlerin die Hände zusammen. „Denn warum? wenn das Dorle dem Nachtwächter sechs Batzen gibt, da geht er mit ihr in den Zainhammer und wieder heim" (item p. 56. 70. 75. 78 (bis). 142. 143 etc.). Ut ex lingua Latina sumptis exemplis defungar:

Hor. sat. I 1, 7 Militia est potior. Quid enim? concurritur: horae
Momento cita mors venit, aut victoria laeta.

Suet. Tib. 59 Non es eques. Quare? non sunt tibi milia centum.

Cf. *quia?* et *quianam?*

[1]) Horum exemplorum proprium est, quod enuntiatio praecedens semper *nam* particula causali introducitur.

[2]) Cf. Schmalzium ‚Handbuch der klass. Altertumswiss.' II 3, 350 (1900[2]).

[3]) Hoc loco etiam totum enuntiatum a *quippe?* pendens interrogative usurpari potest; maneret idem sensus (cf. p. 17). Atque *quippe* particulam

Haec interrogativa significatio *quippe* particulae in prisca tantum latinitate invenitur; posteriorum scriptorum nemo eam retinuit[1]). Non mirum est; nam iam temporibus Plautinis particula vim interrogativam magna e parte amisit. Duo autem facta videntur significationis interrogativae interitum adduxisse: primum quod *quippe* interrogans frequenter in responsionibus quae indignationem quandam vel admirationem exprimebant adhibebatur[2]); deinde quod *quippe* saepe cum *qui*[3]) particula adverbiali coniungebatur.

---

interrogative usurpatam toti enuntiato praeesse potuisse elucet ex *quippini* eadem stirpe formato:

Plaut. Pseud. 917 Nimis tandem ego aps te contemnor. |
Quippe ego te ni contemnam,
Stratioticus homo qui cluear?

Videmus enim temporibus Plautinis *quippini* particulam tam firme coniunctam non fuisse, ut non duae partes *quippe* et *ni* vetus negatio distrahi possent (cf. p. 17 adnot. 1). De tmesi *quippe ego te ni* (non *quippe ego ni te*) cf. Wackernagelum ‚Idg. Forsch.‘ I 408.

[1]) Detlefseno assentiri non possum, qui significationem interrogativam etiam apud Ciceronem, Livium, Tacitum statuendam esse putat. Manet mea quidem sententia tamdiu tantum significatio interrogativa, quamdiu *quippe* paratactice adhibetur, quod factum est solum in prisca latinitate.

[2]) Cf. Plaut. Capt. 886. Epid. 334. 618. Pers. 699.

[3]) Alfredo Fleckeisen (‚Krit. Miscellen‘ 1864 p. 28—33) laudi vertendum est quod e tenebris proprium *qui* voculae usum in lucem vocavit. *Qui* videtur forma interrogantis vocis *quī? wie?*, quae enclitice usurpata vim omisit interrogativam (cf. Graeca *πῄ πώς πού ποί πόθεν*) accepitque significationem indefinitam *irgendwie, irgend einmal* (cf. O. Kienitz l. c. p. 559). Praecipue coniungebatur cum particulis *hercle edepol ecastor at quippe ut.* Ut paucis exemplis defungar:

Plaut. Pseud. 473 Tam tibi
Mirum id videtur? | Hercle qui, ut tu praedicas,
Cavendumst mihi aps te irato.

Bacch. 824 Numquam auferes hinc aurum. | Atqui iam dabis.

Asin. 505 Nequeone ego ted interdictis facere mansuetem meis?
An ita tu' es animata, ut qui matris expers imperio sies?

(Alia exempla apud Fleckeisenum l. c.).

Sed quomodo significatio affirmativa orta est? Leo quidem putat (Götting. Nachrichten 1895 p. 424 sq.) significationem affirmativam inesse in *at edepol hercle* etc. Ab hoc dissentit Wackernagelus (K. Z. XXXIII 25) qui colorem affirmativum *qui* vocabulo contineri dicit. Neutri asssentiri possum; parvam differentiam inter particulas quas supra commemoravimus statuendam

B.

Ex *quippe* interroganti, quod partim causam afferre quae facillime intellegitur ac ne explicatione quidem eget, partim indignationem vel admirationem sibi assumere solet, fit confirmativa particula; quem progressum etiam in aliis particulis Latinis observare possumus [1]) (cf. *quidni quin quispiam*). *Quippe* confirmativa particula significationem *certo*, *sine dubio*, *non mirum est* etc. accipit [2]) i. e. eandem significationem quam e

---

esse arbitror: separandae sunt particulae *hercle edepol ecastor* ab *at quippe ut*; nam *hercle edepol ecastor* particulae per se ipsae colorem affirmativum continent. ad quas augendi cumulandique causa *qui* vocula adiungebatur. Aliter res se habet in *at quippe ut* particulis, quae cum solae ponuntur, nihil aliud nisi adversativam vel interrogativam vel coniunctionalem significationem habent. Ubi primum *qui* vocula his adiuncta est, oritur vis affirmativa. Exstat praeterea differentia alia: inter *at* et *qui*, *quippe* et *qui* intercedunt *pol, ego* vocabula (*ut-qui* nusquam exstat). Sic *at-qui*

Plaut. Amph. 705 Si obsequare, una resolvas plaga. | A t p o l q u i certa res Hanc est obiurgare. Asin. 823. Rud. 946 etc.

quippe — qui Plaut. Epid. 367

Deveniam ad lenonem domum egomet solus, eum ego docebo,
Siquis ad eum adveniat, ut sibi esse datum argentum dicat,
Pro fidicina argenti minas se habere quinquaginta:
Q u i p p e e g o q u i nudiustertius meis manibus denumeravi
Pro illa tua amica quam pater suam filiam esse retur

Plaut. Pseud. 1274 Ad hunc me modum intuli illis satis facete
⏑ ⏑ - ex discipulina: q u i p p e e g o q u i probe Ionica perdidici.

[1]) Wackernagelus ‚Verm. Beiträge' p. 22.

[2]) Germanice *gewiss, natürlich, ganz erklärlich, freilich, allerdings, ja, ja überhaupt, was ich sage, ist ohne weiteres zu verstehen, findet seine natürliche Erklärung* vocibus reddi potest.

Ubi primum *quippe* particula hanc significationem accepit, cum affini particula *quippini* congruit, quae temporibus Plautinis iam ex interrogativa significatione (= *cur non? quid ni?*) in confirmativam (= *nempe, certo*) transierat: sic

Plaut. Men. 948 Itane censes? | Q u i p p i n i? (cf. Langen ‚Beiträge zur Kritik u. Erkl. des Plaut.' p. 123).

Certamen particularum affinium oritur. Utra erit victrix? — *Quippini* particula cessit non modo quod eius usus angustis finibus circumscriptus est (nam *quippini* semper solum positum est excepto Plaut. Pseud. 910), sed etiam quod particulae mensura cretica haud facile adhiberi ac ne elisione quidem metro versus adaptari potuit, quia voces creticae elisionem in hexametro non patiuntur (apud Plautum *quippini* semel in versus initio: Pseud. 361, bis in

grammaticorum testimoniis attulimus (p. 14). Nunc etiam Verri Flacci glossam intellegimus dicentem *quippe* significare *quidni*; *quidni* enim illius aetate iam diu significationem interrogativam amiserat atque particula confirmativa (= *certo*) facta erat.

1) In prisca latinitate superstite usus *quippe* confirmativae particulae certis legibus vinctus est:

a) *Quippe* particula quam *qui* particula adverbialis[1]) sequitur responsionem introducit:

Plaut. Amph. 745 An etiam id tu scis? | Quippe qui[2]); ex te audivi ut urbem maxumam
Expugnavisses.

Ter. Heaut. 538 Eho quaeso laudas, qui eros fallunt? | In loco
Ego vero laudo. | Recte sane. | Quippe qui;
Magnarum saepe id remedium aegritudinumst.

b) *Quippe* particula quam sequitur *qui* adverbiale introducit affirmationem; qui loquitur denuo id confirmat quod brevi ante dixit, atque causam affirmationis adiungit:

---

medio: Poen. 743. Truc. 206, undecies in fine: Aul. 81. Bacch. 839. Men. 948. 1109. Poen. 436. 731. 732. 738. 739. 740. Truc. 414 invenitur). Abiit e sermone particula, cui successit *quippe*. In posteriore latinitate bis *quippini* traditur: apud Apul. met. IX 26 et in versione Hieronymiana Luc. ev. XI 28; qui usus non ex sermone cottidiano, sed ex libris antiquis sumptus est.

[1]) Dixerit quispiam *qui* non esse particulam adverbialem (cf. p. 19 adnot. 3), sed pronomen relativum rigidum pro omnibus casibus generibusque usurpatum (cf. *nemo est quin*; Brugmannus ‚Idg. Forsch.' IV p. 226). Haec quidem sententia ea re adiuvari videtur, quod post *quippe* frequentissime in aurea latinitate nominativus singularis et pluralis masculini generis pronominis relativi adhibitus est; sed, cum hic casus ipse frequentia in narratione semper praevaleat, retinenda non est. *Qui* particulam adverbialem esse inde cognoscitur, primum quod progressus particulae ‚syntacticus' non patitur talem sententiam (cf. p. 29), deinde quod exempla ex Plauto Terentioque sumpta aliter explicari non possunt nisi ita ut *quippe* cum *qui* ad unam notionem coniunctum significationem confirmativam accipiat, tum quod *quippe qui* coniunctio in versus fine collocata est (Plaut. Aul. 348. Ter. Heaut. 538).

[2]) Multi antea *qui* pronomen relativum putaverunt atque, cum Alcumena respondeat, contra codices in *quae* mutaverunt. Fleckeisenus *qui* omisit; ne Ussingio quidem qui censet *qui* adverbiale esse adiunctum *quippe* vocabulo, ut esset *etenim*, adstipulari possum; neque enim *quippe qui* coniunctio causam affert sicut *etenim*, sed potius primum confirmatio praecedentis interrogationis (*quippe qui* = *certo, sine dubio*), deinde causa et explicatio sequitur, ante quam particulam causalem (*nam, enim*) cogitatione supplemus.

Plaut. Aul. 348 Horum tibi istic nil eveniet: quippe qui;
Ubi, quid subripias, nil est.
Plaut. Mil. 604. Rud. 384. Truc. 68 [1]).

Bis etiam *ego* vocabulum metri causa inter *quippe* et *qui* positum est: Epid. 367. Pseud. 1274 (cf. p. 19 not. 3).

2) Aliter res se habet in aurea latinitate, in qua semper particulam confirmativam invenimus; causam affirmationis vel explicationis adiungit enuntiatio sequens, quae modo pronominibus relativis coniunctionibusque *cum ubi si* etc. incohatur, modo particulis *enim etenim* cum *quippe* conectitur. Postea hae quoque particulae *enim etenim* omittuntur: simplex enuntiatum *quippe* particulae ita adicitur, ut quaedam breviloquentia oriatur; qui legit vel audit post *quippe* confirmativum in animo particulam causalem velut *nam enim* adponit. Interdum etiam *quippe* parenthetice in enuntiationem inseritur.

Nunc conabor diversum *quippe* particulae usum quem supra commemoravi exemplis explicare.

a) Sequuntur pronomina relativa:

Cic pro Sext. Rosc. Am. 52 ‚Convivia cum patre non inibat'. Quippe [2]), qui ne in oppidum quidem nisi perraro veniret. ‚Domum suam istum non fere quisquam vocabat'. Nec mirum, qui neque in urbe viveret neque revocaturus esset.

Cic. Phil. III § 4. Ep. ad Att. VI 1, 8. De fin. IV 18 § 49.

b) Sequuntur coniunctiones:

α) cum:

Cic. de fin. V 84 Quem hunc appellas, Zeno? — Beatum, inquit. — Etiam beatissimum? — Quippe [3]), inquit, cum tam docuerim gradus istam rem non habere quam virtutem, in qua sit ipsum etiam beatum.

Pro Planc. 53; De legg. I 5.

---

[1]) Eadem coniunctio rursus apud archaistas Gellium II 26, 5 (adhuc *qui* hoc loco pro pronomine relativo habitum est) et Apuleium met. I 24, 23 (ed. Helmius); apol. c. 3, 3. 20. 17. 26, 6. 53, 17 (H); de deo Socr. prol. p. 2, 17 G apparet. Helmius contra (Philol. Suppl. IX 544) censet: ‚videtur (sc. Apuleius) eam particulam finxisse ad exemplum particulae *atqui* . . ., est igitur *quippe qui* fere idem atque *quia* vel *quoniam*'.

[2]) Hoc loco optime significatio confirmativa cognosci potest; *quippe* enim eandem significationem habet ac *nec mirum*. Cf. Landgrafium et Halmium ad hunc locum et Dittmarum l. c. p. 82 not. 2 et p. 127.

[3]) Ad h. l. conferas Goerenzium: „*Quippe* ironicum illud est, nostro ‚ei freilich' respondens" et Madvicum.

β) si:

Cic. pro Mil. 47 Primum certe liberatur Milo non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio: quippe, si ille obvius ei futurus omnino non erat [1]).

γ) ubi:

Lucr. I 617 Praeterea nisi erit minimum, parvissima quaeque
Corpora constabunt ex partibus infinitis:
Quippe, ubi dimidiae partis pars semper habebit
Dimidiam partem.

c) Sequuntur particulae causales:

α) enim [2]):

Cic. de fin. IV 7 Ista ipsa, quae tu breviter, regem, dictatorem, divitem solum esse sapientem, a te quidem apte et rotunde: Quippe; habes enim a rhetoribus.

β) etenim:

Lucr. I 102 Tutemet a nobis iam quovis tempore vatum
Terriloquis victus dictis desciscere quaeres:
Quippe; etenim quam multa tibi iam fingere possunt
Somnia, quae vitae rationes vertere possint! [3])

d) *Quippe* exstat in simplici confirmatione:

Cic. pro Mur. 74 Ergo, ad cenam petitionis causa siquis vocat, condemnetur? ‚Quippe', inquit; ‚tu mihi summum imperium, summam auctoritatem, tu gubernacula rei publicae petas fovendis hominum sensibus et deliniendis animis et adhibendis voluptatibus?' [4])

---

[1]) Velim animadvertas etiam alias enuntiationes ac relativas sequi posse *quippe* particulam. Cf. Antonium l. c. II 81.

[2]) Draeger l. c. II 171: „Dagegen schliesst sich *enim* nicht unmittelbar an ein vorausgehendes *quippe* an; letzteres ist vielmehr einem ganzen Satze gleichzuachten, *natürlich, begreiflicher Weise*, worauf die Begründung mit *enim* folgt". Cf. quae dixit Antonius l. c. p. 81.

[3]) Ex lingua nostra cf. Schwegler ‚Geschichte der Philosophie im Umriss' (Reclam) p. 301: „Deshalb ist nur die Erfahrung das Gebiet unserer Erkenntnis und eine Wissenschaft des Unbedingten gibt es nicht. *Natürlich: denn* vermittelst jener apriorischen Anschauungsformeln haben wir zwar . . ."

[4]) Huc pertinet etiam Cic. pro Mur. 62: Fatetur aliquis se peccasse et eius delicti veniam petit. ‚Nefarium est facinus ignoscere'. At leve delictum est. ‚Omnia peccata sunt paria'. Dixisti quippiam; fixum et statutum est. Sic scripsit Manutium secutus Mueller; codices autem editionesque veteres habent *quippe iam*. Quis est qui non animadvertat *quippiam* nihil aliud nisi vocabulum superfluum esse? Cur non lectio quam codices praebent reponitur? ‚Omnia peccata sunt paria'. Dixisti: quippe; iam fixum et statutum est. Antea iam Lambinus ‚Dixisti; quippe fixum et statutum est' scripsit idque se in codicibus veteribus invenisse testatur.

Cic de dom. sua 126 ‚Iam fateor‘, inquit, ‚me in Gabinio nefarium fuisse‘. Quippe; vides poenam illam a te in alium institutam in te esse conversam.

Cic. de rep. I 61 Quia animum adverti nuper, cum essemus in Formiano te familiae valde interdicere, ut uni dicto audiens esset. — Quippe vilico.

e) *Quippe* parenthetice in enuntiationem inseritur:

Cic. pro Mil. 33 Movet me — quippe — lumen curiae!

Verg. Aen. IV 218 Nos munera templis —
Quippe — tuis ferimus famamque fovemus inanem.

C.

Haec confirmativa particulae significatio manet etiam in argentea quae vocatur latinitate, etsi paulum moderata atque coartata; namque particulae persaepe postpositae vim debilitatam esse apertum est. *Quippe*, quod in aurea latinitate pro plena sententia usurpatum est ac valuit hoc fere *minime mirum id quidem est* (*ganz erklärlich; was ich sage, ist ohne weiteres zu verstehen*) deserit hanc liberam significationem atque magis magisque dicioni sequentis enuntiationis subicitur: *Quippe* confirmativa particula proxime accedit ad explicativam significationem accipitque vim *certo scilicet enim* (*eben*, *freilich*, *allerdings*, *ja doch*, *nämlich*).

Phaedr. I 28, 7 Contempsit illa (sc. aquila), tuta quippe ipso loco.

Vell. Paterc. II 72, 5 Ad quem . . . proscripti confluebant: quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus [1]).

Plin. N. H. XXV 37 Utuntur et radice, temeraria in totum, ut arbitror, medicina: quippe etiam [2]) foliis constat mentem conrumpi, si . . .

Ib. XVI 17 Genera distinguere non datur nominibus quae sunt alia alibi: quippe, cum robur quercumque volgo nasci videamus.

Plin. ep. VIII 6, 4 Mitto, quod Pallanti servo praetoria ornamenta offeruntur — quippe offeruntur a servis [3]) — mitto . . .

Tac. hist. I 72, 12 Haud dubie servaverat (sc. filiam), non clementia — quippe tot interfectis — sed effugium in futurum, quia pes-

---

[1]) Cave facias cum Langeno ‚Zum Sprachgebrauch des Vell. Pat.‘ (Progr. Stettin 1886) p. 26, qui putat *quippe* apud hunc scriptorem plane consentire cum *nam enim*.

[2]) *Quippe etiam* proxime accedit ad *quin etiam*.

[3]) Quam ieiuna esset interpretatio, si *quippe* per nostrum *‚denn‘* verteremus sententiam Krautii (Progr. Schönthal 1872 p. 30) secuti!

sumus quisque ... adversus publicum odium privatam gratiam praeparat[1]).

Tac. Agr. 3, 9 Ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris: subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur.

Apul. apol. c. 80, 11 p. 89, 4 (H) Porro sanus est qui scit quid sit insania: quippe insania scire se non potest, non magis quam caecitas se videre.

Salvian. de gubern. Dei I 40 Quid ergo dicimus? puto quod in his omnibus et curare pariter res humanas deum et iudicare cognoscas. In Aegypto quippe, tunc enim, non simplex tantum sed multiplex constat dei fuisse iudicium; quotienscumque enim rebellantes Aegyptos percussit totiens iudicavit[2]).

III.

De *quippe* particulae historia vel vita.

Quoniam qualis fuerit genuina particulae notio quoque modo significatio progressa sit satis demonstrasse mihi videor, persequar nunc *quippe* particulae usque ad tertium post Chr. n. saeculum historiam vel vitam.

---

[1]) Huic loco enuntiatorum parallelismus qui vocatur inest ‚quippe tot interfectis' et ‚quia pessimus quisque ... praeparat'. Optime ex hoc exemplo differentia inter particulas *quippe* et *quia* cognosci potest. Quandam enim ironiam animadvertimus: „Tigellinus ille qui tot interfecit, clemens esse non potest, clementia adductus non est ut filiae Titi Vini parceret, clementia ei ignota est; sed potius in animo habebat effugium in futurum sibi parare; nam pessimus quisque diffidit praesentibus, mutationem pavet, adversus publicum odium praeparat privatam gratiam". ‚Quippe tot interfectis' hoc loco rem introducit, quae per se non dubia, quae omnibus nota est, quae omnino hac explicatione non eget; contra ‚quia ... praeparat' affert vulgarem causam, sententiam scriptoris, quae ex vita factisque hominum scelestorum intellegitur.

[2]) Paulyus editor adnotavit: „*Enim* delevit Rittershusius: fort. recte, praesertim cum facillime repeti posset ex statim seq. ‚*quotienscumque enim*'". Sittl ‚Die lokalen Verschiedenheiten der Lat. Sprache' p. 61 dicit: „Salvianus v. Massilia wendet ... *cum enim* gub. I 38 oder *quippe enim* gub. I 40 statt *quippe cum* an". Thom. Stangl (Wochenschrift f. klass. Philol. 1908 p. 742) coniunxit *quippe* cum *enim* ad unam notionem causalem. Quis est qui his sententiis assentiatur? Sed hoc loco atque etiam his temporibus *quippe* particula etsi paulatim in significationem explicativam abiit proximeque accessit ad *enim* particulae vim, tamen aliquantum prioris significationis retinuit. Atque Salvianus hoc loco has duas particulas, quae eandem fere significationem habent, variandi tantum gratia usurpavit. Commata posui, quo melius nexus sententiarum cognosci possit.

Primum particula apud Plautum nobis occurrit (20ies); deinde Terentius, etsi raro, utitur (ter); eodem fere tempore apparet in Enni carminibus (ter); in fragmentis reliquorum poetarum scaenicorum nullum eius vestigium est. Item *quippe* plane deest in monumentis priscae latinitatis epigraphicis. In prosa oratione particulam primum invenimus in fragmento orationis, quam C. Titius a. 161 pro lege Fannia habuit. Ex poetarum numero Lucilio, e scriptoribus orationis solutae Catoni et auctori ad Herennium ea videtur displicuisse.

Iam postquam per centum fere annos evanuit, in aurea quae vocatur latinitate in novam vitam vocatur. Prosae orationis scriptorum agmen ducit Cicero, qui particulam 57ies adhibuit; sequitur Sallustius (26ies), auctor epistularum ad Caesarem senem de republica Sallustio falso adscriptarum (octies), belli Africani auctor (semel), Cornelius Nepos (ter); in fragmentis Aelii Galli et Iuli Hygini grammatici *quippe* semel comparet; persaepe ea utitur Livius (106ies). Plane deest apud M. Terentium Varronem, Quintum Ciceronem, C. Iulium Caesarem, Octavium Augustum, Vitruvium, Rutilium Lupum.

Inter poetas particulam valde amavit Lucretius (45ies); rarius autem apud Horatium (bis), Vergilium (novies), Ciris auctorem (semel), Tibullum (semel), Propertium (septies), Ovidium (undecies), auctorem consolationis ad Liviam (semel) invenitur. Evitaverunt vero particulam Catullus[1]), Cicero, Grattius.

Non minus frequenter particula in argentea quae dicitur latinitate nobis occurrit; atque nonnulli scriptores ut Velleius Paterculus (63ies), Curtius Rufus (158ies), Moderatus Columella (36ies), Plinius Maior (168ies), Cornelius Tacitus (118ies), Florus (85ies), Iustinus (83ies), Gellius (18ies), Apuleius (118ies), Irenaei interpres (23ies) in deliciis eam habuerunt. Rarius apparet in Pompei Trogi (bis), Cremutii Cordi (semel) fragmentis, apud Senecam patrem (ter), philosophum (novies), Pomponium Melam (bis), in Fabii Quintiliani institutione oratoria (quinquies), in declama-

[1]) Iniuria Munro c. 67, 12 *quippe* pro *qui te* scribere voluit.

tionibus quae sub eius nomine traditae sunt maioribus (bis), minoribus (octies), in Plini Caecili Secundi epistulis (ter), in panegyrico (undecies), apud Suetonium (bis), Frontonem (quater), Gaium (quinquies), Minucium Felicem (bis), Tertullianum (septies). Plane desideratur apud Valerium Maximum, Cornelium Celsum, Scribonium Largum, Asconium Pedianum, in Petroni satirarum locis prosaicis, apud omnes grammaticos, quatenus eorum scripta in manibus nostris sunt, ut Velium Longum, Flavium Caprum, Terentium Scaurum, apud Sextum Iulium Frontinum, Hyginum gromaticum, Balbum, apud historicos Granium Licinianum, Lucium Ampelium, apud iuris civilis scriptores praeter Gaium, in Hygini libris qui inscribuntur fabulae et de astrologia, apud scriptores christianos praeter Irenaei interpretem, Minucium Felicem, Tertullianum. Inde apparet scriptores artium hanc particulam fugisse, historiarum persaepe adhibuisse.

Reliquum est ut pauca dicamus de huius aetatis poetis. Particula usi sunt Germanicus (semel), Phaedrus (ter), Persius (semel), Seneca (bis), Lucanus (septies), Petronius (bis), auctor Aetnae (bis), Valerius Flaccus (octies), Silius Italicus (terdecies), Homerus latinus, quem Silium Italicum esse nunc fere putant (semel), Papinius Statius (23^{ies}), Martialis (semel), Iuvenalis (duodecies), Terentianus Maurus (decies). Omnino *quippe* aspernati sunt Columella in decimo libro operis sui, Calpurnius Siculus aliique[1]).

Usque ad saeculum tertium *quippe* particulae historiam vel vitam persecutus, ne longius progrediar, impedior et copia scriptorum qui exstant magis magisque crescente et finibus terminisque qui huic quaestioni constituti sunt. In posteriore vero latinitate novas vias inisse particulam equidem non putaverim. Id autem certum est *quippe* una cum lingua Latina interiisse, cum in nulla lingua Romanensi, quas omnes ex illa originem duxisse constat, secundum grammaticos, qui illis linguis operam navaverunt, ullum huius vocabuli vestigium supersit.

---

[1]) Eos scriptores vel poetas qui *quippe* particula usi sunt, omnes enumeravi; eorum qui particulam evitaverunt, eximios tantum attuli.

Nunc quaerat quispiam, in quo dicendi genere *quippe* particula sit praecipue usurpata, in sermone urbano an plebeio. Plautus qui sermone cottidiano vel familiari usus est, multo frequentius (20ies) particulam adhibuit quam Terentius (ter)[1], qui dictionem urbanam secutus est; Caesar Augustusque, qui purum sermonem sectati sunt, *quippe* particulam fugerunt[2], Moderatus Columella, in cuius elocutione scimus non pauca inveniri quae sermonis cottidiani propria sunt[3], persaepe particulam usurpavit. Particula etiamsi in sermone cottidiano primariam sedem habuisse videtur, tamen etiam a poetis satis frequenter adhibita est. Staceyus[4]) autem, qui apud Livium a decade ad decadem particulam rarius apparere observavit, concludendum esse putat particulam esse coloris vere poetici[5]. Quam sententiam quis est qui plane comprobet? *Quippe* non magis quam *scilicet nempe utpote* particula poetica est; nam hi scriptores qui et orationes et carmina fecerunt, velut Cicero, Columella, Apuleius ut in oratione prosa persaepe, ita in carminibus particula omnino non usi sunt[6].

Ex his omnibus elucet *quippe* (et *quippini*) in prisca aureaque latinitate exstitisse in sermone et urbano et plebeio, in posteriore latinitate sermonem plebeium vel cottidianum fugisse[7] atque in sermonem urbanum i. e. in libros se recepisse[8].

---

[1]) Plautus in quindecim fabulis (ex viginti una) vicies, Terentius in duabus fabulis (ex sex) ter particulam usurpavit. Huc accedit quod Plautus solus *quippini* 15ies usurpavit, quod Terentius fugit.

[2]) Auctor belli Africani semel *quippe* adhibuit.

[3]) Kottmannus ‚De elocutione L. Iunii Mod. Columellae' (Progr. Rottweil 1903) praef. p. III.

[4]) ‚Arch. f. Lat. Lex. u. Gramm.' X 70.

[5]) Nihil certi de particulae colore ex frequentissimo apud Velleium, Curtium, Plinium maiorem, Tacitum, Florum, Iustinum, Apuleium usu concludi potest.

[6]) Duobus exceptis: Seneca qui in una fabula bis, in prosa oratione novies, Petronioque qui bis in carminibus, in prosa nusquam particula usus est; amborum tamen versus prope ad prosam orationem accedunt.

[7]) Hoc inde intellegitur partim quod particula neque in iis libris qui sermone cottidiano conscripti sunt neque in ulla lingua Romanensi exstat, partim quod ab archaissantibus Frontone, Aulo Gellio, Apuleio frequentissime adhibita est.

[8]) Praecipue a scriptoribus rhetoricis particula usurpata est.

IV.

De usu *quippe* particulae ‚syntactico'.

Videamus nunc, quod caput est, qualis fuerit usus ‚syntacticus' *quippe* particulae quaque via progressus sit per saecula. In prisca latinitate *quippe* particula paratactice sequenti enuntiationi antecedit: *quippe* fuit interrogativum ac valuit pro toto enuntiato. Postquam ea significatio quam vocabulum primum habuit interrogativa in aurea latinitate oblivione obruta est, paulatim *quippe* paratacticam vim amisit; quo tempore particula non iam paratactice adiuncta, sed potius syntactice ut ita dicam coniuncta est cum sequenti enuntiatione: *quippe* erat confirmativum. Longius progreditur in argentea latinitate haec particulae debilitatio; *quippe* hypotactice sequenti enuntiationi subicitur. Ita facillime ad ‚enuntiati particulam' quae vocatur propius accedit postremoque plane ad ‚enuntiati particulam', quae persaepe locum alterum vel tertium enuntiati obtinet, declinat [1]: *quippe* accipit significationem explicativam.

Talis est *quippe* particulae progressus ‚syntacticus' qui quam artissime cum particulae significatione conectendus est. Quam sententiam secuti in animo habemus ab antiquissimis temporibus usque ad saeculi alterius finem ‚syntacticum' particulae usum persequi ac primum quidem explorare, qualis fuerit in prisca latinitate.

A.

Qualis in prisca latinitate usus *quippe* particulae ‚syntacticus' fuerit.

E priscorum poetarum latinorum numero usi sunt particula *Plautus*, *Terentius*, *Ennius*; semel etiam in oratione prosa comparet. Exempla autem quae exstant, sufficiunt ut cognoscere possimus qualis fuerit usus [2].

§ 1.

Nunc accedam ad enumeranda atque explicanda singula

---

[1]) Cf. Wackernagelum ‚Vermischte Beiträge' (Basel 1897) p. 21 sq.

[2]) Cf. G. Holtze ‚Syntaxis prisc. Lat. scriptt.' I 381. 382, II 116. 369 sq. Lindsayum ‚Syntax of Plaut.' p. 108. 110.

quae sunt apud Plautum[1]) Terentiumque[2]) exempla; qui simul tractabuntur, quia in particulae usu plane consentiunt.

1) Particulam interrogativam *quippe?*

a) sequitur enuntiatio primaria:

Plaut. Amph. 37 Nam iniusta ab iustis impetrari non decet;
Iusta autem ab iniustis petere insipientiast:
Quippe? illi iniqui ius ignorant neque tenent.

Trin. 1049 Male fidem servando illis quoque abrogant etiam fidem
Qui nil meriti: quippe? eorum ex ingenio ingenium horum probant[3]).

Item Epid. 334; Merc. 381; Poen. 553. Ter. Heaut. 389; Phorm. 362.

b) sequuntur pronomina relativa coniuncta

α) cum indicativo:

Plaut. Amph. 22 Pater huc me misit ad vos oratum meus,
Tametsi pro imperio vobis quod dictum foret
Scibat facturos: quippe? qui intellexerat
Vereri vos se et metuere, ita ut aequomst Iovem.

Plaut. Epid. 618 Habe bonum animum. | Quippe? ego, quoi libertas in mundo sitast ⟨?⟩ |
Ego te servabo.

β) cum coniunctivo:

Plaut. Pers. 699 Atque edepol tu me commonuisti hau male:
Videor vidisse hic forma persimilem tui,
Eadem statura. | Quippe? qui frater siet[4]).

Item Asin. 66; Men. 586[5]).

---

[1]) Rec. G. Goetzius et F. Schoellius; quam editionem comparavi cum Ritscheliana maiore ceterisque.

[2]) Rec. Carolus Dziatzko (1884); simul adhibui editionem Umpfenbachianam.

[3]) Hoc loco et Amph. 37 vocabula *eorum* et *illi* offendunt, quae cum eo non congruunt quod post *quippe* usque ad Livium nullo sequentis enuntiationis loco pronomen demonstrativum exstare observavi. Hic tamen usus ex syntactico particulae progressu explicari potest: *quippe* in prisca latinitate paratactice, ut supra commemoravimus, adhibitum est neque quicquam in sequentem enuntiationem valuit.

[4]) Cf. Dittmarum l. c. p. 126. — Causa interna, cur hoc loco coniunctivus adhibitus sit, statui non potest; fortasse metro coactus est poeta coniunctivum ponere, praesertim cum in prisca latinitate nondum tam subtile discrimen inter indicativum et coniunctivum fuerit quam in aurea latinitate.

[5]) A viris doctissimis haec duo exempla ut prius seclusa sunt, ita certe nunc sermoni Plautino tribuuntur; neque enim aut *quippe* particulae signi-

c) sequuntur coniunctiones:

α) *quando*, quod introducit simplicem enuntiationem:

Plaut. Capt. 886
Quid tu per barbaricas urbes iuras? | Quia enim item asperae
Sunt, ut tuom victum autumabas esse. | Vae aetati tuae! |
Quippe? quando mihi nil credis, quod ego dico sedulo [1]).

β) *quom* coniunctio quae enuntiationem compositam introducit:

Plaut. Rud. 979 Ne inpudenter inpudens?
Nam si istuc ius sit quod memoras, piscatores perierint:
Quippe? quom extemplo in macellum pisces prolati sient,
Nemo emat, suam quisque partem piscium poscant sibi [2]).

2) *Quippe* conectitur cum *qui* particula adverbiali [3]) (cf. p. 21)

a) in responsione:

Plaut. Amph. 745 An etiam id tu scis? | Quippe qui; ex te audivi ut urbem maxumam
Expugnavisses.

Ter. Heaut. 538 Eho quaeso laudas, qui eros fallunt? | In loco
Ego vero laudo. | Recte sane. | Quippe qui [4]);
Magnarum saepe id remedium aegritudinumst.

b) media in oratione:

---

ficatione usuque ‚syntactico' aut singulari versus mensura (cf. p. 12sq.) locus datur suspicioni. Num licet sic argumentari ut Langenus ‚Plautin. Studien' p. 302: „Die Erklärung ist so flach und nichtssagend, dass sie nicht von Plautus herrühren kann?" Illud autem ipsum est proprium *quippe* particulae, ut aliquam rem quae ne explicatione quidem eget atque luce clarior est, accuratius planiusque exponat.

[1]) M. Lindsay interpunxit: ‚Vae aetati. | Tuae || Quippe quando . . .', cui coniecturae nescio an nemo assentiri possit.

[2]) De Ussingii coniectura Plaut. Truc. 878 (= 888 Sch.) cf. p. 12 adnot. 2.

[3]) G. Holtze l. c. II 116 *qui* particulam habuit pronomen relativum; cf. Brixium ad Capt.[5] 553

[4]) Scholia cod. Bembini adnotationem praebent: ‚parelcon. abundat *qui*'. Eandem sententiam secutus est Draeger l. c. II 536. Westerhovius autem et Stallbaumius scripserunt *quippe quia* (sic proximo tempore rursus Detlefsenus l. c. p. 10, qui eodem modo etiam Plaut. Aul. 348 et Truc. 68 corrigi vult), quae lectio iam ex metricis causis probari non potest. Madvicus (Advers. crit. II 16), cui Cavallinus (Nordisk Tidskrift for Philolog. og Paedagog. 1874 p. 279) et O. Kienitz (l. c. p. 561) assentiuntur, commendat *quippini*. Hac tamen mutatione opus non est; nam *quippe qui* idem significat ac *quippini*. Cf. p. 20 not. 2.

Plaut. Aul. 348 Horum tibi istic nil eveniet: quippe qui;
Ubi, quid subripias, nil est[1]).

Bacch. 369 Pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, opsecro:
Nam equidem haud aliter esse duco: quippe qui; nemo advenit
Nisi quem spes reliquere omnes, esse ut frugi possiet[2]).

Mil. glor. 604 Nam bene consultum consilium surripitur saepissume,
Si minus cum cura aut cautela locus loquendi lectus est:
Quippe qui[3]); si rescivere inimici consilium tuom,
Tuopte tibi consilio occludunt linguam et constringunt manus.

Rud. 384 Cur tu istuc dicis? | Res palamst. | Scin tu? etiam qui it lavatum
In balineas, quom ibi sedulo sua vestimenta servat,
Tamen surripiuntur: quippe qui; quem illorum observat falsust.

Truc. 68 Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorta et lenones qui sedent cottidie,
Ea nimiast ratio: quippe qui[4]); certo scio
Foro plus scortorum esse iam quam ponderum.

Interdum *quippe* a *qui* separatur; *ego* pronomen metri causa interponitur. Sic Plaut. Epid. 367. Pseud. 1274[5]).

Atque ut breviter comprehendamus, quae de *quippe* particulae apud Plautum Terentiumque usu ‚syntactico' diximus, apud hos scriptores quorum alter vicies, alter ter particulam adhibuit, invenimus *quippe* solum positum, ubi partim enuntiatum primarium (apud Plautum quinquies, Terentium bis) partim pronomina relativa quae et cum indicativo (apud Plautum bis) et cum coniunctivo (apud Plautum ter) coniunguntur[6]), par-

---

[1]) Cf. Ussingium et Wagnerum ad h. l.

[2]) Recentiores editores excepto Lindsayo omnes Lambinum secuti *quo* pro *qui* scripserunt. Primus Fleckeisenus (l. c. p. 33) defendit bonam lectionem *qui*, quam B habet (reliqui *cui*): „Allerdings vermisse ich ungern ein *huc*; also wohl *quippe qui huc nemo advenit* oder *huc quippe qui nemo advenit*". Sed neque *quippe qui* postponendum est neque accurata loci determinatione opus est; nam in *advenio* verbo ipso haec significatio inest (cf. Amph. 149. 714. Trin. 989). Eadem de causa etiam *quo* coniectura repellenda est.

[3]) Sic recte emendavit Tyrrellius (A enim habet *quippe hi*; B *quippe* solum; Goetzius scripsit *quippe illi si*).

[4]) Schoellius coniecit *quippini*; idem mutavit Truc. 726 *quidni* in *quippini*.

[5]) Conf. ad hunc locum Lorenzii notam (= 1260) et ‚Krit. Anmerkg.' ad Pseud. 1274. De huius versus mensura cf. Skutschium l. c. p. 95 not. 2 et ‚Glotta' I 313 adnot. 3 (1908).

[6]) Sententia eorum qui putant in prisca latinitate post *quippe* pronomen

tim coniunctiones (semel *quando* et *cum* apud Plautum) sequuntur. Invenimus *quippe* etiam cum *qui* particula adverbiali coniunctum, quae vocabuli significationem interrogativam in confirmativam mutavit; haec coniunctio *quippe qui* et in responsionibus (apud Plautum et Terentium semel) et media in oratione (apud Plautum septies) comparet.

§ 2.

Restat ut tria exempla quae Enni[1]) sunt afferam; quae, si de syntaxi iudicamus, parvae sunt utilitatis, quia praecedens enuntiatio deest.

Ann. 355 Quippe?[2]) solent reges omnes in rebus secundis
ib. 410 Quippe? vetusta virum non est satis bella moveri.
Sat. 14 Quippe?[3]) sine cura laetus lautus cum advenis,
Infertis malis, expedito brachio,
Alacer, celsus, lupino exspectans impetu
Mox cum alterius abligurrias bona,
Quid censes domino esse animi?

§ 3.

Satis frequenter apud poetas *quippe* comparet, ut cognoscamus qualis fuerit usus particulae, cum oratio soluta priscae latinitatis nobis exemplum praebeat unicum:

C. Titi oratio pro lege Fannia habita anno 161 (Macrob. sat. II 12)[4]): Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant: quippe, qui vesicam plenam vini habeant[5]).

---

relativum praecipue cum indicativo coniunctum, postea in aurea latinitate coniunctivum maxime adhibitum esse, retineri non potest. Mea quidem sententia post *quippe* huius usus progressus omnino statuendus non est. Apud Plautum vero pronomen relativum post *quippe* cum coniunctivo coniunctum praevalet (ter), cum indicativo bis tantum exstat; ac ne discrimen quidem huius usus statui potest. „*Quippe utpote ut* haben ebensowenig die Kraft, ohne weiteres den Indicativ in den Conjunctiv zu verwandeln wie *quidem* oder *modo*; sie gesellen sich dem an sich notwendigen Modus bei“. (Dittmarus l. c. p. 126.) Itaque errant qui (e. g. Draegerus l. c. II 536) dicunt Sallustium qui post *quippe* pronomen relativum semper cum indicativo coniungat, hunc usum ex prisca latinitate hausisse.

1) Ed. Ioannes Vahlen, Lips. 1903.

2) De significatione iam dictum est p. 14 sqq.

3) Cf. p. 12 adnot. 1.

4) Oratorum Roman. frag. [2] ed. H. Meyer (Turici 1842) p. 204.

5) *Habeant* omnibus codicibus traditum est. Ioannes autem Sarisberiensis

Nunc quaerat quispiam, num particulae usus quem supra commemoravimus etiam in aurea ut ita dicam latinitate inveniatur. Fatendum nobis est nullo fere loco *quippe?* interrogativum exstare, *quippe qui* coniunctionem plane obrutam esse oblivione [1]; quo munere iam *quippe* solum positum fungitur. Manet usus *quippe* particulae, quam modo simplex enuntiatio modo pronomina relativa vel coniunctiones sequuntur.

---

qui hunc locum excerpsit, e codice quo usus est *habent* praebet. Fortasse coniunctivus praecedens *impleant* multum valuit in *habeant: quippe* quidem nihil valet. — Comparandi causa hoc loco *utpote* sumatur: *utpote* (= ut possunt implere) *qui vesicam plenam vini habeant.*

[1]) Ennius nescio an hunc usum deseruerit; nam fieri non potuit ut *quippe qui* (cf. *quippini*) hexametro aptaretur (cf. p. 20 not. 2). Quare etiam apud eum solam positam particulam invenimus.

Reliqua propediem in commentationum quae inscribuntur
Breslauer Philologische Abhandlungen
fasciculo 41 edentur.

Theses.

1. Cic. de orat. I 59 genuina lectio sic videtur restituenda: *Nunquam enim negabo esse* ⟨*artis*⟩ *quasdam partis proprias eorum, qui in iis cognoscendis atque tractandis studium suum omne posuerunt.*

   quasdam partes M; sic Mueller et Wilkins.
   artes quasdam L; *quasdam artes* Piderit-Adler.

2. Cic de orat. I 145 inserendum est *si*: *Singularumque rerum praecepta cognoram. Quin etiam* ⟨*si*⟩ *quae maxime propria essent naturae, tamen his ipsis artem adhiberi videram.*

3. Vell. Paterc. II 88, 2: (sc. *Maecenas*) . . . *non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus — quippe vixit angusticlavi*⟨*us*⟩ *bene* [*paene* vel *pene* A et P] *contentus — nec minora consequi potuit, sed* . . .

4. *Quidni?* (= *quid nisi?* = *quid deinde?* = *porro*) separandum est a *quidni?* (= *quare non?* = *certo*) particula eundem sonum habenti.

5. Apuleium iuvenem ad conscribendum opusculum quod vocatur *de Platone et eius dogmate* unum vel complura opera excerpsisse atque duos priores opusculi libros accuratius elaboravisse, tertium adumbratum reliquisse opinor.

6. Omnia fere insignia quae Petro apostolo tribuuntur originem ceperunt non ex Iudaica vel Graeca religione, sed ex Iano, deo Romanorum.

7. Multum Laocoontis statua in Christi repraesentatione valuit.

8. Narratio rerum in Saxonia gestarum quae apud Widukindum III 45 et 46 subito descriptionem pugnae in flumine Lech commissae interrumpit a Widukindo ipso in margine facta postea a redactore falso loco inserta est.

9. Incertus Henrici IV vitae auctor multo minus quam recentiores affirmant antiquos imitatus est scriptores.

Vita.

Natus sum Kurt Lerche Lesnae in urbe Posnaniensi a. d. VIII Kal. Aug. anni 1884 patre Guilelmo quem praematura morte mihi ereptum maxime lugeo, matre Mathilde e gente Schmidt quam adhuc vivam summa cum pietate colo. Fidem sequor evangelicam. Litterarum elementis imbutus inde ab a. 1895 ad a. 1904 patriae urbis gymnasium regium nomine Comenii nuncupatum frequentavi, quod nunc floret auspiciis Alfredi de Sanden. Maturitatis testimonium adeptus Vratislaviam me contuli studiis philologicis historicisque operam daturus.

Hi me docuerunt viri doctissimi:

Baumgartner, Cichorius, Dahn, Ebbinghaus †, Foerster, Freudenthal †, O. Hoffmann, Iacoby, Kaufmann, Kuekenthal, Kuehnemann, Rich. Leonhard, Muther †, Norden, Partsch, Semrau, Skutsch, Sombart, Thilenius, Wendland, Wolf, Ziekursch.

Proseminarii philologici exercitationibus, quibus Foerster, Norden, Skutsch praeerant, per tria semestria interfui. Ut sodalis essem ordinarius seminarii philologici, mihi Foerster, Skutsch, Wendland per duo semestria concesserunt. Praeterea ad exercitationes seminarii archaeologici me admiserunt Foerster, historici Cichorius, Kampers, Kaufmann, Ziekursch, philosophici Kuehnemann, psychologici Ebbinghaus.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas, imprimis vero Richardo Foerster et Francisco Skutsch, qui me ut in ceteris studiis, ita etiam in hoc libello componendo consilio atque opera benigne adiuvare non desierunt.

Typis Maretzke & Maertin Trebnicensium.